



1.
1.
2.
3.
4.
5.



1708

1792, 11.

17

HISTORIA
VICARIATVS S. R. IMPERII

INDE A
MAGNO SIC DICTO INTERREGNO
VSQVE AD
AVREAM BVLLAM
IVRIS GERMANICI PVBLICI
COMMENTATIO

QVAM
AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

PRAESIDENTE
D. IOANNE CHRISTIANO
KNOETZSCHERO

DIE XV. SEPTEMBRIS A. C. MDCCLXXXII.

H. L. Q. C.

DEFENDET

IOANNES WILHELMVS CHRISTOPH. NEEFE

CHEMNICENSIS.

LIPSIÆ
EX OFFICINA LOEPERIA.

HISTORIA
VICARIIVS S. R. IMPERII

IN
MAGNO SIC BICTO IMPERIO

AVSTRIAE
AVSTRALIAE
AVSTRALIAE
AVSTRALIAE

AVSTRALIAE
AVSTRALIAE

AVSTRALIAE
AVSTRALIAE
AVSTRALIAE

AVSTRALIAE

AVSTRALIAE

AVSTRALIAE

17

HISTORIA
VICARIATVS S. R. IMPERII
INDE A
MAGNO SIC DICTO INTERREGNO
VSQVE AD
AVREAM BVLLAM.

INTRODVCTIO

Inde a regni Germanici primordiis amborum eius primariorum populorum, Francorum et Saxonum duces, eiusdem post regis mortem vacantis provisoriam potestatem more et auctoritate ipsarum gentium, quarum duces erant, sibi vindicasse, ideoque Vicariatum interregni tempore obtinuisse, neque minus eundem a Caroli M. tempore ad Magnum Interregnum vsque exercuisse, iam nuper peculiari libello *a)* sumus commentati. Iam vero antiquioribus temporibus missis, ad recentiora progrediamur: Post Friderici II. Imperatoris obitum ao. MCCL. tanta enata est vsque ad Rudolphum Habsburgicum rerum Germanicarum perturbatio, vt, fascibus S. R. Imperii modo huic, modo illi, nemini vero laeto cum successu oblatis, vti discordes electiones Conradi IV. Henrici Rasponis, Wilhelmi Hollandii, Richardi Cornubiensis, tandemque Alphonfi Castiliae regis, non obscure docent, ne vnus quidem consensu omnium vnanimi gubernium regni consequi potuerit; propterea, quod vel ipsi eligentes inter sese dissidebant, vel electus sceptrum Imperii, oneris molesti instar, recusabat. Accedit, quod tam tumultuoso turbulentoque Magni, quod vulgo vocant, Interregni tempore quisque de suis potius priuatis, quam publicis commodis laborabat, atque haud raro principes aut imbecillitatis, aut incuriae culpa iura sua non satis tuebantur, imo sponte iisdem, molestiarum ac turbarum pertacli cedebant. Quo factum est, vt

A 2

Curia

a) Historia Vicariatus S. R. Imperii inde a Caroli M. tempore vsque ad Magnum sic dictum Interregnum, Lipsiae anno praesenti edita.

Curia Romana quorum libet commodorum ex illa rerum publicarum confusione sibi parandorum studiosissima, non solum in multa principum, in primis regno diu vacante, iura irruere, eademque sua facere tentasse, sed et Vicariatum S. Imperii valde adstricti, sibi adripere ausa legatur. Quae quidem Pontificum Romanorum conamina etsi alio in libello *b)* vberius a nobis sunt exposita; non possumus tamen non hic nonnulla ex illo repetere, quo commodius, vno quasi ex loco, quae ratio Vicariatus illis temporibus fuerit, conspici queat.

I.

Permanente Magno Interregno Pontifices Romanos in primis vacantis Imperii curam sibi acquirere studuisse, exponitur.

Magnum, quod audit Interregnum dominatui Pontificum Romanorum stabiliendo, eorumque conatui, regni Germaniae dubio gubernaculo laborantis curam, Vicariatumque Romano-Germanici Imperii sibi acquirendi cum maxime fauisse, historia satis docetur. Nam cum d. XXVIII. Jan. ao. MCCLVI. Wilhelmus Hollandius diem supremum obiisset, exstitit interregnum, quo Alexandrum IV. Pontificem, maioribus suis *c)* neququam arrogantia cedentem, sese discordi duorum regum aemulorum, Richardi atque Alphonsi, ao. MCCLVII. institutae electioni immiscuisse, seque suffragia principum Electorum diuisa causam interferentem, Richardo Germaniae rege probato, huius litis iudicem temerarium gessisse, ex successoris Urbani IV. bulla *d)* facile est perspectu. Qui quidem vir, audacia cupiditateque potentiae Cleri augendae antecessori par, Richardo regi ao. MCCLXIII. misit bullam, *e)* qua S. Imperium adhuc vacare statuens, *sedi suae Apostolicae ius subortam super electione vel coronatione discordiam per Appellationem decidi*

b) Ausus Pontificum Romanorum Vicariatum S. R. Imperii sibi arrogandi in binis Dissertationibus Lipsiae praesenti anno editis complexi.

c) Iam ante Magnum Interregnum Innocentii III. Gregorii IX. Innocentiique IV. Pontificum Romanorum, Vicariatus Imperii acquirendi conamina exstiterunt, ut nuper in *Historia Vicariatus S. R. Imperii inde a Carolo M. temp. usque ad M. Interregnum §. III p. 15. sq.* satis demonstrasse mihi videor. Cf. et *Ausus Pont. Rom. cer.* Commentatio I. Cap. III. §. I. et II. p. 17. sqq. nec non Comment. II. §. I. pag. 6. sq.

d) Prostat in IOH. DAN. VON OLENSCHLAGER *Neue Erläuterung der Güld-Bulle Kayfers Carls IV.* (Frankf. und Leipzig 1766. 4.) im *Urkundenb. Num. XVII.* ex RAYNALDI *Anal. Eccl. T. XIV. ad an. 1263.*

e) Quae apud OLENSCHLAGERVM c. I. exstat.

deni manifeste tribuit, adeoque anno insequenti ab Alphonso rege, qui ad-
 versarium Richardum victum captumque tenebat, incitatus, utrumque S. Im-
 perii competitorum se coram se sistere, et de iuribus suis in regnum Germani-
 cum respondere iussit. *f)* Audacioribus vero gradibus mox horum vestigia
 premere videmus Clementem IV. utpote qui iam in epistolis suis *curam ac*
tentionem fluctuantis Imperii ad se pertinere aperte professus est. *g)* Quid
 quod eo processit audaciae, ut ao. MCCLXVII. Carolum, Ducem Ande-
 gauensem, per Italiam Vicarium Imperii crearet. *h)* Cum postea ao.
 MCCLXXII. d. II. April. Richardus naturae debitum reddidisset, iuribus
 Alphonsi in thronum Germaniae neglectis, Gregorius X. Pontifex principi-
 bus Electoribus in minarum plena epistola *i)* sine mora Imperium alio Capi-
 te providendum iniunxit. Quodsi vero suo iussui aduersati fuerint, semet
 ipsum eidem regem esse praefecturum, pronunciauit. Quapropter Rudolphus
 I. e domo illustri Habsburgica ao. MCCLXXXIII. d. XXIX. Sept. a principibus,
 Francofurthi de periculo *diutinae vacationis imperii, et de perditione iuris prin-*
cipum inuicem conquestis, *k)* rex Romanorum electus, Magnoque Interregno
 finis impositus est. Neque tamen postea Nicolaus III. Pontifex, impotentiam
 animi potuit coercere, quippe qui decretali quadam epistola *l)* in contume-
 liam Imperii statueret non erubuit: *Nullum Imperatorem vel Regem Romano-*
rum — — *absque speciali Apostolicae sedis licentia nominari ac eligi debere.*
 Quae quidem verba Nicolai successu temporis hac polluerunt vi, ut successores
 Ioannes XXII. *m)* Clemensque VI. *n)* nefandos suos ausus, Ludouicum di-
 gnitate

A 3

- f)* Conferenda est Commentatio II. *Ausus Pontificum* cet. §. III. p. 10.
- g)* *Epist. Clementis IV.* 450. et 625. Conferatur etiam IOH. FRID. LE BRET *Fortsetzung der Allgem. Weltgeschichte* (Halle 1779. 4.) *Tb. 42. p. 436. not. g.* et *Dissert. I. Ausus Pontific.* Cap. III. §. III. pag. 22.
- h)* *Epp.* 492. 512. et 625. in MARTENE *Thes. Anecd. T. II. p. 587.* Conf. et MONAGHUS PADUANUS: *Ao. Domini MCCLXVII. Rex Carolus regno sub-*
actio Siciliae venit ad Papam Clementem — — *et est ab eo VICARIUS IMPERII*
constituens. *Lib. III Rev. in Infabr. gest. p. 622.* et in ROUSSET *Suppl. au*
Corps Diplom. Tom. I. P. I. p. 125.
- i)* FRAGMENT. VRSTIS. pag. 93. Conf. etiam CHRIST. WILH. FRANZ
 WALCH *Entwurf einer vollständigen Historie der röm. Päbste* (Göt. 1756. 8.)
 p. 292.
- k)* ALBERT. ARGENTINENSIS in *Chron.* apud URSTISIUM P. II. p. 100.
- l)* *Cap. Fundamenta 17. X. de elect. et elect. pot.* in 6.
- m)* J. D. VON OLENSCHLAGER *Straatsgeschichte des Röm. Kayserth. in der Ersten*
Halbte des Vierzehnten Jahrhunderts (Frankf. 1755. 4.) *Urkundenb. Num. LVII.*
 ex P. P. MARTENE et DURAND. *Thes. Anecd. T. II. col. 727.*
- n)* OLENSCHLAGER c. I. in *Urkund. Num. LXXXIV. pag. 219.* ex RAYNAL-
 DI *Ann. Eccl. Tom. XVI. 187.*



gnitate Imperatoria exuendi, Imperiique Vicariatum exercendi exinde confirmarent.

II.

Non deesse exempla Vicariatus a summis S. Imperii Prouisoribus, Franconiae Saxoniaeque ducibus, pendente Magno Interregno administrati, demonstratur.

Quamquam inde ab anno MCCL. ad Rudolphum I. Habspurgicum ao. MCCLXXIII. Germaniae regem electum, Romani Pontifices summa rerum potiti, fluctuantis Imperii curam sibi adpuerant, ius tamen S. Imperio Capite destituto prouidendi, quod ad Francorum Saxonumque duces iure meritoque pertinebat, iisdem nequaquam perit atque euauit. Iam ao. MCCLVI. V. Kal. Iunii, regno Germanorum post mortem Wilhelmi Hollandii adhuc vacante, Ludouicus II. dictus Seuerus, Comes Palatinus ad Rhenum duxque Bauariae, tanquam antiquorum Franconiae ducum successor, o) utriusque Philippo de Falkenstein, patri ac filio, nec non fratribus Engelhardo atque Conrado de Winsberg, eorumque heredibus comitiam *Wedrebiae cum suis pertinentiis, quae de morte Ulrici, nobilis viri de Mintzenberg vacare coeperat*, in feudum concessit, ut constat ex quodam vidimus Petri Episcopi Moguntini de anno MCCCII. Kal. Octobr. et memoriae traditum est a KUCHENBERGERO p). Deinde idem Ludouicus tanquam S. R. Imperii Vicarius ao. MCCLXVI. XVII. Kal. Nouembr. Conrado Stromaiero eiusque heredibus *forestum (Imperii) in Nuremberg gubernandum* commisit, cuius concessionis diploma apud SAMUELEM WILH. OETTERUM q) exstat. Esti vero tunc temporis Richardum ac Alphonsum, duos aduersarios reges regno Germaniae praefuisse constat, id ipsum tamen, utroque fere numquam in regni finibus commorante, vacare existimabatur, uti ex quodam diplomate mox laudando patebit. Sequenti anno iterum dictum Ludouicum Seuerum, Imperii Prouisorem, Mariae, Friderici Burggrafi Norimbergensis filiae, eidemque uxori Ludouici, Comitis de Oettingen iunioris, eiusque masculis heredibus successorem in Burggrafiatum Norimbergensem cum omnibus aliis feudis Imperii bene-

o) Conf. ERNST ANDREAS LAMEY *Von dem Ursprunge des Chur-Pfälzischen Reichs-Vicariats* (Mannheim 1790. 4.) im *Zweyten Abschn.* pag. 18. fgg.

p) In *Analectis Hassiacis Collectio I.* p. 396.

q) In dem *Versuch einer Geschichte der Burggrafen zu Nürnberg.* (Frankf. und Leipz. 1753. 8.) *Tb. 2. p. 471.* Hoc manus Forestale tunc temporis a S. Imperio pependisse docet idem p. 501 fgg. fufius.

7

beneficiario iure concessisse, certum et constitutum habemus. En ipsū hocce memoria dignum monumentum r):

In Nomine Domini Amen. Ludewicus Dei Grā. Com. Palat. Rhy. Dux Bavarie cum vacante imperio Rom. omnes feudorum collaciones sine ordinaciones jure dignitatis officii nostri, quod ab Imperio tenemus, ad nos pertineant indifferenter. Nos attendentes fidem et devocionem, nec non servicia, que Nobilis vir, Fridericus Burggravius de Nurenberch Romano Imperio impendit hactenus & adhuc impendere potest. Si sine herede masculino decesserit, ad instantiam precum suarum, Dnam Mariam, filiam suam, coniugem Nobilis viri Ludewicj Com. de Otingen Junioris et heredes, qui ab ea fuerint procreati, tam Burggraviatu, quam omnibus aliis feodis, que dictus Fridericus Burggravius ab imperio Rom. tenet, opido Suvante dicto, cum suis pertinentiis excepto, nomine Imperii infeodavimus et esse volumus infeodatam, huius rei testes sunt carissimus Avunculus noster, Chauvradus secundus, Ierusalem et Syclie Rex, Dux Sioevie, Ludewicus senior Comes de Otingen, hainricus Comes de Chafel, Dominus Vlsicus de Wariperch hermannus de hvrnheim & h. filius ejusdem Wolframms Advocatus eius de Dornberch. herdegenus de grindelach et alii quam plures. Et ne super premissis aliquod in posterum possit dubium suboriri. Praesentes litteras conscribi fecimus & nostri Sigilli Karactere roborarj. Actum & datum in chadolsburch. Anno Domini Mo. CCCLXVIj. Quarto die exeunte Majo. Indictione Decima.

Neque desunt alia seculi XIII. documenta, quae antiquam Vicariatus Imperii rationem continuatam clarissime innuunt. Ideoque enim collectores consuetudinum veterum germanicarum, tam prouincialium, quam feudaliū, in Speculis suis mentionem faciunt prouisoriae potestatis, quae S. Imperio vacante, Comiti Palatino ad Rhenum Ducique Saxoniae competierit. In Iure quidem Feudali Alemannico r) leguntur haec verba: *Die Recht* (des Reichs-Vicariats) *hant die zwen Herren, so dar Rich on Kunig* (ist). Praeterea et Rudolphus I. Imperator in diplomate de ao. MCCLXXVIII, t) vtitur his

r) SAM. WILH. OETTER c. I. p. 475. sqq. Cum postea huius chartae fidem impugnasset BRUCKERUS Theologus Augustanus in litteris ea de re ad editorem scriptis, denuo repetitum exhibuit eiusque probitatem vindicauit in dem *Aufweckern Interregno* §. I. p. 2. sq. Caeterum et exstat in JO. DAV. KOELERI D. de Ducibus Meraniae *Altortfi* MDCCXXXIX. defensa §. XVII. p. 47. sq.

s) Cap. XLII. §. 8. Conf. etiam OLENSCHLAGER in der *Erläur. der G. B.* §. XLI. p. 146. nor. (II.)

t) CHR. LÜNIGIUS in dem *Reichs-Archive Part. Spec. Contin. II. p. 129.* nec non LEIBNITZ in *Manriff. Coll. Iur. Gen. Diplom. Part. num. X. p. 102.*

his verbis: *Cum charissimus gener, Princeps Magnificus, Ludovicus Comes Pal. Rheni inter alias suorum principatum praerogativas hoc insigne ius habeat ab antiquo, quod vacante imperii principatus, terras, possessiones et alia iura imperii custodire debeat, quousque Romano Imperio de principe sit prouisum: idemque alio quodam diplomate u) confirmatur huncce in modum: Longa enim et approbata consuetudine inconcussa a majorum ordinatione vacante imperio ius administrandi iura, feuda conferendi, negotia cetera disponendi Palatino Rheni debetur.*

III.

Ab initio Seculi XIV. usque ad Carolum IV. Pontifices Romanos Vicariatum vel vere vacantis, vel dubio gubernaculo laborantis Imperii, sedi Apostolicae acquirere pro virili annis fuisse, ostenditur.

Et si, cum Germania, Rudolpho I. Imperatore d. XV. Iulii MCCXCI. mortuo, denuo orbata esset, administratio vacantis Imperii penes Comitem Palatinum Rheni fuisse traditur, constat tamen, tum opinionem vulgarem viguisse hanc: curam regni vacantis ad Electores seculares cunctos pertinere; id quod e germanico versu quodam haud contemnendo x) intelligi potest, qui sic habet:

*Die Fürsten hoch und werd,
Die darczu sind auserlesen
Daz sie shullen verweisen
Daz Reich, als ez ist Herren par,
Die hastu all vir gar.*

Vnde factum est, vt ciues Augustae Vindelicorum tum totis viribus ob-
sisterent Comiti Palatino, cum solus in ipsos vicariatus iuribus vti tentaret. y)
Quod interregnum nouem fere mensium deinde per Adolphi, Nassouensis
Comitis, ao. MCCLXXXIII. die I. Maii factam electionem ad finem per-
ductum est. Postquam autem aliquot annis post, Adolpho Imperatore anno
MCCLXXXVIII. d. II. Jul. in proelio prope Wormatiam occiso, Alber-
tus I.

u) In MELCH. GOLDASTI Reichshandl. Parr. III. pag. 411. Conf. etiam
CAR. LUD. TOLNERUS in Hist. Palat. p. 115.
x) OTTOC. HORNECK in der Oestereich. Reim - Chronick Cap. DXLIII. col.
512 Cf. etiam OLENSCHLAGER c. I. not. (7).
y) CRUSIUS in Annal. Suev. Lib. III. P. III. fol. 183. et GASSARUS in An-
nal. Augsb. col. 1465. Conf. et BUXTORFIUS ad Cap. V. A. B. §. LVI.

17

tus I. Rudolphi I. filius, Austriae Dux, a principibus Electoribus mense Augusti eiusdem anni rex Romanorum electus erat, Bonifacius VIII. Pontifex, qui nihil prius antiquiusque habuit, quam ut omnia orbis terrarum regna, bulla *Vnam Sanctam* *z*) teste, scabello suo subiiceret, ac quam plurima iura Imperii Apostolicae sedi acquireret, et verbo, eiusdem potentiam nullis limitibus circumscriptam stabiliret, eundem ao. MCCC I, in bulla *a*) Archiepiscopis Germaniae, Moguntino, Treuirensi atque Coloniensi missa, tanquam homicidam Adolphi, Imperatoria dignitate censuit indignum, hac mente, ut securius in iura Imperii irruere, regnique quasi vacantis administrationem sibi adripere posset. Qua de causa et regnum Italiae, FERRETO VICENTINO *b*) testante, praetendens regiam ac prouisoriam ipsius potestatem, sibi soli gubernandum sumisit, et quid multis? non aliter egit, ac si S. Imperium reuera vacaret, idemque suo arbitrio esset permissum: nam principi Francico Carolo Valesio, Philippi Pulchri, regis Galliarum fratri ao. MCCC I. Paciario Etruriae creato, coronam S. R. Imperii promittere non dubitauit. *c*) Quae quidem omnia in Commentatione *d*) alio tempore edita, fusius a nobis exposita leguntur. Cum postea, Alberto I. ao. MCCC VIII. d. I. Maii rebus humanis exento, S. Imperium iterum per septem fere menses Imperatorem careret, Clemens V. Pontifex, fauore et gratia Philippi IV. Galliarum regis commotus, *e*) in Germaniam misit litteras, *f*) quibus principibus Electoribus

- z*) Cap. I. de maior. et obed. Extrav. Comm. nec non in OLENSCHLAGER Staatsgesch. cet. Urkund. Num. I.
a) Existat in OLENSCHLAGER c. I. Urkund. Num. II. ex RAYNALDI Ann. Eccl. T. XIV. p. 549. Conf. et TRITHEMIUS in Chron. Hirsaug. an. 1299. Coronam Imperii pluries a Papa Bonifacio Rex ipse Albertus petiuit, sed Pontifex hoc ei munus semper denegans, respondebat: Imperio non esse dignum, qui Dominum suum Regem in bello proprium occidisset.
b) Histor. Lib. II. col. 995. (Bonifacius) vocem rigidam superbis oris biatribus edidit verbis huiusmodi: Certum est, Sedem Augustam suo duce vacare, — (Albertus) apud Germanos imperet; Nos autem Latias gentes potentiae nostrae duoras nutu nostro Regaliter gubernabimus.
c) JO. VILLANI Hist. Lib. VIII. c. 42. OLENSCHLAGER c. I. §. II. pag. 4.
d) Ausus Pontificum cet. Diss. I. Cap. III. §. IV. pag. 23. sq.
e) ABR. BZOVIVS in Annal. Eccl. T. XIV. ad an. 1305. Num. III. §. 2. — Summus Pontifex (Clemens V.) apud Regem profanum (Philippum), quasi in potestatem secularium redactus, omnia et dicere, et facere, et iubere cogere, non ex maiestate Pontificia, neque ex potestate plenaria, neque ex iustitiae praescripro; sed ut Rex et proceres velent, adeoque mandarent.
f) OLENSCHLAGER c. I. Urkund. Num. VII. ex LEIBNITH Cod. Iur. Genr. Dipl. Manriff. p. 241.

bus diu inter se de nouo capite Germaniae ex magno aemulorum numero g) fegregando admodum dissentientibus, Carolum illum Valesenfem ac Andegauenfem Comitem, vtiliffimum maximeque idoneum candidatum commendavit. Quod quidem hominis coeptum S. Romani Imperit ad Franco-Gallos transferendi, intercedente rege Philippo, licet frustra, tentatum est: siquidem die XXVII. Nov. ao. MCCCVIII. Henricus VII. e domo illustri Luxemburgensi, rex Romanorum electus euasit. Nec quidquam rerum illo tempore gestarum gnaro probabilius videbitur, quam Clementem Papam studio per hoc interregnum vicariatus Imperii sibi, sedique Apostolicae arrogandi, iam fundamenta iecisse eorum consiliorum, quibus proximo interregno impio ausu perficiendis inhiasse reperitur. Posteaquam enim d. XXIV. Aug. ao. MCCCXIII. Henrico VII. Imperatore vita functo, nouum quatuordecim mensium exortum erat interregnum, idem Clemens V. in bulla *Pastoralis h)* vulgo ab ipsius inito verbo dicta, ao. MCCCXIV. iura vicariatus Imperii aperte sibi arrogauit, ita sese iactans atque contendens: *Nos tam ex superioritate, quam ad Imperium non est dubium Nos habere, quam ex potestate, in qua vacante Imperio Imperatori succedimus, i)* cum iam ao. MCCCXIII. in alia Romani Principes eodem modo dicta bulla *k)* iusiurandum, quod Reges Romani antiquitus praestare solebant summo Pontifici in coronationis imperatoriae actu, haberi voluisset pro iureiurando fidelitatis, vi cuius Imperatores tanquam Vasalli Apostolicae sedis, *terras suas ad proprietatem ipsius Romanae Ecclesiae plenissimo iure pertinere concedentes*, dicto Pontifici in causis adeo secularibus audientes esse deberent. Nec hac nefanda insolentia ad-

qui-

- g) Non solum *Fridericus*, occisi Alberti filius natu maximus, Austriae, at *Rudolphus* Bauariae Duces, idemque Comes Pal. Rheni, de corona regni obtinenda certarunt, vti FERRETUS VICENTINUS *Lib. IV. p. 1052.* litteris consignauit, verum etiam *Ludouicum* Comitem Pal. Rheni, *Oztonem* ac *Waldemarum*, ambos Brandenburgerfes Marchiones, *Oztonem* Stephanumque, Bauariae duces, *Albertum*, Comitem Anhaltinum, nec non *Eberhardum*, Comitem Wurtembergensem, regnum Germaniae ambuisse, ex Declaratione Legatorum Brandenburgerum ad Papsa de eligendo Rege Romanorum, quae apud OLENSCHLAGERUM c. l. in *Urkundenb. Num. VIII.* exstat, colligi ac euinci potest.
- h) Cap. 2. de *senr. et re iud. Clem.* Prostat et in OLENSCHLAGER c. l. *Urk. Num. XIV.* Conf. et FRANZ DOMINICUS HAEBERLIN in *dem Pragmat. Auszuge der Allgem. Weltbistorie (Halle 1786. 8.)* Tb. III. p. 95. fgg.
- i) Hanc Pontificis adfectionem, Vicariatum sibi ex *Superioritate ad Imperium* competere, nullo plane iure corroboratam, sed prorsus temere usurpatam, iam diu refutauit CHR. GOTTLIEB BUDER in *Progr. ad Clementinam Pastoralis de senr. et re iud. suae de Iuribus Vicariorum in Imperio Romano singulariter sic dicto (Fenae MDCCLVI.)* edito §. IX. p. 8.
- k) Cap. vii. de *iureiur.* Clem. nec non OLENSCHLAGER c. l. *Urkund. Num. XV.*

quiescentem videmus Papam Clementem, sed mox in alia constitutione, 1) qua pariter ac in illo Romani vacantis Imperii Regimen ad se pertinere decreuit, Robertum, Siciliae regem, in Italiae partibus S. Imperio subiectis, eodem ao. MCCCXIV. Vicarium Generalem ad id vsque tempus dixit, quo rex Romanorum a semet ipso vel successoribus adprobatus regnare coepisset. Hunc durante interregno fatis cedentem, interea die XIX. Oct. Friderico Austriae, posteaque d. XX. Oct. eiusd. ai. Ludouico Bavariae ducibus, electione non conueniente, a principibus Electoribus regno Germaniae praefectis, excepit Ioannes XXII. Papa impotentissimus, qui, quo dominationis Pontificiae amplificandae studio flagrabat, iam ao. MCCCXVII. in bulla *Si fratrum m)* posteritati prodiderat. Qua quidem in constitutione Ioannes *ex iure liquido et ab olim inconcussa servata consuetudine vacante Imperio, quo ad secularem iudicem recursus haberi nequeat, ad Pontificem Imperii summam Iurisdictionem, Regimen ac dispositionem deuolui* sanxit; ideoque tempore interregni cuncta Imperium spectantia a se vel alio tandiu exercenda decreuit, quamdiu nondum constaret, vter Imperatorum rite valideque esset electus. Praeterea idem ao. MCCCXX. Bertrandum de Pojet, S. Ecclesiae Cardinalem, quem filium naturalem Ioannis Papae historia tradit n), titulo Paciarum exornatum, Carolumque Valesium, quem Roberto, Imperii Vicario supremo proximum habuit, Subvicarium creatum, in Italiam oppressis Guelfis auxilio misit. o) Sic vicariatu in Italia stabilito, eundem Papa ad Germaniam paulatim propagare tentauit. Hoc consilio anno MCCCXVII. Episcopum Basileensem, qui nobilem quemdam de Neuburg ob inimicitias erga Grandsonem armis adortus erat, a bello desistere coegit. p) Posteriori autem anno in Duce Brunsvicensi a litibus cum monasterio quodam Numburgensi prohibendo eo temeritatis processit, vt se subditos a fide

B 2

1) OLENSCHLAGER c. 1. *Urkund. Num. XVI.* ex RAYNALDI *Annal. Eccles. Tom. XV. ad an. 1314. §. 3.* Nos, ad quos Romani vacantis Imperii Regnum peruenire dignoscitur, arrendentes, quam auidae Italiae partes, praesertim quae ad Imperium ipsum pertinent, rectorem exigant, strenuitate, prudentia et potentia vtrique praeditum, — necessarium fore prospeximus vt alii praefaria curam regiminis committere debeamus, vt, ubi Nos praesentes esse non possumus, nostra saltem per eum auctoritas praesentetur.

m) Cap. vn. *ne sede vac.* Extravag. et in OLENSCHLAGER c. 1. *Urkund. Num. XXXIV.* ex RAYNALDI *Ann. Eccl. T. XV. p. 156.*

n) PETRARCHA *Epist. 7.* sine titulo. Cf. etiam OLENSCHLAGER c. 1. §. XXXIX. p. 105.

o) RAYNADVS in *Ann. Eccles. ad an. 1320. §. 9. f. 99.*

p) RAYNALD. c. 1. *ad an. 1317. §. 14. p. 152.*

iurisiurandi solutorum minaretur. q) Pari modo ao. MCCCXIX. Ioannes Pontifex in litteris, quas ODOARD. RAYNALDUS r) nobis seruaui, hisce utens superbis verbis: *Attendentes, quod Imperii Romani, tempore, quo illud vacare contingit, sicut ad huc vacare dignoscitur, regimen, cura et administratio, nec non et defensio fidelium eiusdem Imperii oppressorum, ac punitio subiectorum eorundem, cum ad alium praeterquam ad Romanum Pontificem recursus haberi non possit, ad nos pertineat, litibus Tarvisinorum cum Henrico, Comite Goritiae s), et cum Veronensi Cane Grande della Scala, pace auctoritate Imperiali singulis litigantibus iniuncta, se immiscuit. Neque minus imperiosum se gessit Ioannes in Germaniae Episcopos, cum eos nisi sub conditione, ut, lite de electione nondum decisa, neutri certantium Imperatorum obdicerent, confirmatione sua exornare negasset. t) Tandemque idem Pontifex, ut IOANNES DUBRAVIUS u) testatur, Wladislaum Lothicum, qui de renouanda regia Poloniae corona non cum Caesare, sed cum Curia Romana agebat, regem creauit, ideoque se maiestaticorum iurium in regnum Poloniae, S. R. Imperio tunc temporis competentium, impium violatorem probauit, regnoque Germanico per auulsiionem regni Polonici ab Imperio vim intulit quam maximam. Nec hac adqueuisse arrogantia conspicitur Ioannes, cum iam dubia illa electio per proelium Mühlдорfense ao. MCCCXXII. factum in fauorem Ludouici victoris decisa esset, sed potius odio adaucto, Ludouicum tanquam in discordia principum electum ao. MCCCXXIII. in bulla x) a cura Imperii tamdiu prohibuit, vsque dum ipsius electio per sedem Apostolicam sit adprobata. At, quo facilius huius Pontificis nefanda temeritas perspiciatur, ipsum auhamus: *Dudum siquidem, inquit, per obitum Henrici, Romanorum Imperatoris, Imperio Romano vacante, principes ecclesiastici et seculares — uolens eorum in diuersa diuisis, duos, sicut dicitur, Ludouicum scilicet Bauarum et Fridericum, Austriae duces, — in discordia elegerunt. Verum praesatus Ludouicus a nobis, ad quam suae electionis huiusmodi, — ac personae ipsius examinatio, approbatio ac admissio, repulsio quoque et reprobatio nostritur pertinere, electione praedicta nequaquam admissa, nec eius approbata persona, — Romanorum regni nomen sibi et titulum Regnum usurpauit; — Idem etiam Ludouicus eodem praesumpto titulo non contentus,**

q) Ibid. ad an. 1318. §. 42. p. 181.

r) c. 1. ad an. 1319. §. 6.

s) PFEFFINGER in *Vitr. Illustr. T. I. p. 966. (f.)*

t) RAYNALD. c. 1. ad an. 1320. §. 8. 198.

u) In *Hist. Bohem. Lib. XX. pag. 168.* Cf. etiam CHROMER in *Hist. Res. Polon. Lib. XI.* atque NIC. BURGUNDUS in *Hist. Bav. Lib. II. pag. 95.*

x) OLENSCHLAGER c. 1. *Urkund. Num. XXXVI. ex HERWARDO AB HOHENBURG in Ludouico IV. Imp. def. pag. 194.*

tus, administrationem Iurium Regni et Imperii Romanorum in grauem Dei contentum, ac manifestam iniuriam Romanae Ecclesiae, ad quam eiusdem vacationis tempore Imperii regimen, sicut et in praesentia vacat, pertinere dignoscitur. — praesumpsit. Praetereamus silentio reliquos Ioannis in Imperatorem Ludouicum sine omni iuris specie malignos processus, qui rectius excessum nuncupari merentur, et quorum historiam alio tempore y) iam vberius tradidimus. Id autem postremo non possumus tacere, Ioannem insolentiae suae corroborandae causa ad antecessorum, Clementis IV. z) Nicolai III. a) Clementisque V. b) exempla prouocasse, aususque suos Vicariatum Imperii exercendi, maiorum arrogantia temeritateque confirmatos, vsque ad vitae suae vltimum diem tutum esse. Qui Ioannem XXII. excepit, Benedictus XII. Pontifex, omnia, quibus iura Imperii adortus est, culpa Philippi, Galliarum regis, suscepit. Sic statim ineunte Apostolico munere suo ao. MCCCXXXV. Ludouico, absolutionem excommunicationis petenti, in aliis duris legibus scripsit has: vt ne vnuquam Papa inuito, in Italiam proficisceretur, nec Romae vitra vnum diem commoraretur, nec copias eo mitteret; inprimis autem vt Roberto, Siciliae regi, Vicariatum Italiae permitteret. c) Deinde idem ecclesiae Leodensi ao. MCCCXXXVIII. litteras misit dehortatorias d), ne quis Ludouico, aut Eduardo, Angliarum regi, tanquam illius Vicario, pareret, vtpote administratione Imperii adhuc a Pontifice curante. Haec sunt insignia documenta arrogantiae Benedicti XII. in adfectando Germania Vicariatu. Audiamus nunc, quo successu idem administrationem Italiae, vacante S. Imperio, sibi debere adstruxerit. Papam Benedictum multis Italiae proceribus adreptum principatum propterea, quod Imperium Romanorum adhuc vacare dicebatur, confirmasse, suoque adfensu ratum habuisse, memoriae proditum exstat. Nam pace Lombardiae a Venetis data, Pontifex tyrannos e Lombardis primores principum legitimorum nomine confirmauit. Quare Luchino atque Ioanui, fratribus Vicecomitibus vicariatium Mediolani ex auctoritate Apostolica, annuo stipulato censu ad dicit. e) Pari ratione Canis Maslinus Scaliger Veronae, Parmae atque Vin-

B 3

- y) Conf. *Ausus Pontif. Romanorum cer. Com. I. Cap. III. §. VI. p. 30. sqq.*
 z) OLENSCHLAGER c. I. *Urkund. Num. XXXVIII. pag. 95.*
 a) *Ibid. Urkund. Num. LVII. p. 162.*
 b) *Ibid. Urkund. Num. XXXVIII. p. 95.*
 c) NIC. BURGUNDUS in *Hist. Bauar. p. 144.* Conf. OLENSCHLAGER c. I. p. 257.
 d) OLENSCHLAGER c. I. *Urkund. Num. LXXVI. ex Hocsemi Gestis Pontif. Leodiens. p. 449.*
 e) GUALUAN. FLAMMA in *Opusc. col. 1039.* Cf. OLENSCHLAGER c. I. §. CXXX. p. 302.

centiae, *f*) Guilielmus Gonzaga Mantuae Rhegiique, Vbertinus Carraria Paduae, Opizio Estensis Ferrariae, Mutinae, nec non Argentae, vicariatu Apostolica auctoritate potiti, *g*) his in urbibus, quas circa id tempus obtinuerant, munere vicariorum fungi coeperunt. *h*) Huic non inferior successor Clemens VI. Pontifex, de Ludouico Imperatore penitus opprimendo serio cogitavit. Quam quidem in rem a. MCCCXXXIII. omnibus Germaniae Episcopis misit bullam *i*) singulis diebus festis praelegendam, quo certius Ludouicum excommunicatum cuncta iura et honores perdidisse, omnibus gentibus innotesceret. Quod coeptum nefandum postea a. MCCCXXXVI. in alia terribili anathematum plena bulla *k*), qua Romanum Imperium adhuc vacare statuebat, repetiit, principesque Electores in litteris singularibus *l*) ad nouum regem Romanum eligendum Apostolica auctoritate cohortatus est, nec non semetipsum Germaniae regnum nouo Capite esse prouisorum, sine cunctanter essent obedituri, decreuit. Quo factum est, ut eodem adhuc anno MCCCXXXVI. d. XI. Julii Carolus, Moraviae Marchio, Henricique VII. nepos, qui postea Imperator nomine Caroli IV. inclaruit, Romanorum rex eligeretur. *m*) Caeterum Clementem Papam eadem Imperii maiestati noxia cogitata, ad summum Pontificem coelestis simul et terreni Imperii iura plenitudinemque

f) RAYNALD. c. I. ad an. 1339. n. 61—69.

g) IO. DAV. KOELER *Schediasma Histor. Nummismate Jacobi Grandis de Carvaria Domini I. Parauit* (Alr. 1717. 4.) p. 30.

h) IAC. PHIL. BERGOMENSIS *Chron. Lib. XIII. fol. 337.* et SABELLICUS *Hist. rer. Venet. Lib. IV. pag. 607.*

i) OLENSCHLAGER c. I. *Urkund. Num. LXXXIV. pag. 216.* ex RAYNALDI *Ann. Eccl. Tom. XVI. p. 187.*

k) OLENSCHLAGER c. I. *Urkund. Num. LXXXIX.* ex RAYNALDI *Ann. Eccl. T. XVI. p. 228.* *Divinam suppliciter imploramus potentiam, ut Ludouici confutes infantiam, deprimat et elidat superbiam, et eum dexteræ suæ virtute profrenat, ipsumque in manibus inimicorum suorum et eum persequentium concludat, et tradat corruentem ante ipsos. Veniat ei laqueus quem ignorat, et cadat in ipsum. Sit maledictus ingrediens, sit maledictus egrediens. Percutiat eum Dominus amentia et coecitate, ac mentis furore. Coelum super eum fulgura mirrar. Omnipotentis Dei ira — in hoc et futuro seculo exardescat in ipsum. Orbis terrarum pugnet contra eum: aperiatz terra, et ipsum absorbeat viuum. In generatione una deleatur nomen eius, et dispercat de terra memoria eius. Cuncta elementa sint ei contraria. Habitatio eius fiat deserta, et omnia Sanctorum quiescentium merita illum confundant, et in hac vita super eum apertam vindictam ostendant, filiiqz ipsius eiciantur de habitacionibus suis, et videntibus eius oculis in manibus hostium eos perdentium concludantur.*

l) OLENSCHLAGER c. I. *Urkund. Num. XC.* ex RAYNALDI *Ann. Eccl. Tom. XVI. p. 230.*

m) OLENSCHLAGER c. I. *Urkund. Num. XCI.* ex WENCKERI *Apparatu Archiv. p. 201.*

nemque potestatis pertinere, recoquere ausum esse, adeoque a morte Henrici VII. nomine ac vi illius vicariae potestatis ab Italicis principibus quotannis haud leues pecuniae summas exegisse, relatum legimus. Cui rei id vnum sit testimonio, *m)* hunc Clementem VI. a Luchino Visconte, Grandis Matthaei filio juniori, pro vicariatu Mediolani, ab antecessore Benedicto XII. confirmato, quotannis decem millia florenorum aureorum postulare non dubitasse.

IV.

Iura Franconici atque Saxonici Vicariatus temporibus, quibus arrogantia papalis ad summum culmen ascendit, minime perditam fuisse, euincitur.

Si innumeri ausus Pontificum continuo callideque facti, qui ab initio Saeculi XIV. Germaniam vastarant, maximaque vi polluerant, omnia principum Electorum iura subuertissent, atque obliuioni tradidissent, id nemini profecto videatur mirandum. At, ut reliqua Electorum insignia iura taceamus, inprimis vicariatus cura summis S. R. Imperii Prouisoribus, Franconiae Saxoniaeque Ducibus, tam diligenter adprobata inconcussaque antiquitus seruata consuetudine exstitit confirmata ac stabilita, ut ne illo quidem arrogantiae papalis ferace tempore perire potuerit. Nam medio in illarum seditionum fervore ac insolentia Minorita quidam, nomine Ludouici VI. Imperatoris, quem Bauarum vocant, in Appellatione ad Concilium Generale ad Ioannis XXII. Pontificis malignos processus refellendos, Francofurthi a. MCCCXXIV. patefacta *o)*, iura maiestatis Imperatoriae, vicariatusque illorum Duumvirorum hisce verbis defendit: *Item ille crudelis usurpator iura Principum Imperii priuata negotio indiscusso parte inaudita nititur usurpare. Cum enim vacante Imperio Comiti Palatino Rheno de iure et approbata Imperii consuetudine obseruata hastenus inconcussa, praesertim in partibus Alamanniae, p)* competat ius administrandi iura Imperii, feuda ecclesiastica et temporalia conferendi, et cuncta alia negotia disponendi, ipse in dicti Principatus et principum suorum iniuriam contendit, quod in nullum casum sibi competit, ad se administrationem vacan-

n) RAYNALDUS c. l. ad an. 1343. n. 87. et cf. OLENSCHLAGER c. l. p. 414. *fy.*

o) CHR. LUNIGII *Contm. l. Spicil. Eccles. Num. XIII.* nec non OLENSCHLAGER c. l. *Urkundenb. Num. XLIII pag. 126.*

p) in medio aeuo sub *Alemannia* totam Germaniam Superiorem cum suis prouinciis, Franconia, Sueuia, cunctisque aliis regionibus ad Rhenum, ubi *Ius Alemannicum* s. *Sueuicum* vigeat, quibusque terris omnibus Comes Palatinus Rheni, S. Imperio vacante, praerat, intelligi, docent historiae documenta. Ac pariter constat, ad reliquam Germaniam, Inferiorem, quippe quae *Iuris Saxonici* vtebatur, per interregnum prouisoriam potestate regendam, Dacem Saxoniae vi moris antiqui, et a praeiis inde temporibus seruatae consuetudinis, fuisse constitutum.

vacantis Imperii pertinere. Deinde et idem Ludouicus Imp. in constitutione de Imperii iuribus, excellentia potestateque Electi Romanorum Regis in Comitibus Francofurtensibus ao. MCCCXXXIX. lata *q)* vicariam S. R. Imperii Provisorum potestatem huncce in modum tuitus est: *Longa enim et approbata consuetudine, inconcusse a maiorum ordinatione haecenus obseruata, vacante Imperio jus administrandi Imperii iura, feuda conferendi, et negotia cetera disponendi, Palatino Rheni debetur, non obstante Clementina Pastoralis. r)* Praeterea Ludouicus, Comes Pal. Rheni, idemque Dux Bavariae ac Marchio Brandenburgensis, filius Ludouici IV. Imp. natu maximus, inde ab eo tempore, quod d. XI. Oct. MCCCXXXVII, pater animam efflarat, vsque ad an. MCCCL. quod interuallum propter ter repetitam electionem, Eduardi Angliae regis *s)*, Friderici, Marchionis Misibensis, cognomine Strenui *t)*, nec non Güntheri, Comitibus Schwarzburgici, *u)* qui omnes Ludouico Imp. adhuc uiuo, Carolo IV. Regi Romanorum salutato aduersarii dicti erant, pro interregno est habendum *x)*, S. Imperii reliquias Insigniaque regalia custodiens, se regni vacantis Vicarium gessit, neque illa Carolo IV. tradidisse dicitur prius, quam iterum Electorum vnanimibus votis electus, riteque fuit coronatus. *y)* Tandemque Carolus IV. Imperator in Aurea Bulla *z)*, temeritati Pontificum vinculis adiectis, ao. MCCCLVI. Vicariatum S. R. Imperii vacantis, supra dictis Franconiae Saxoniaeque Ducibus antiquitus competentem confirmauit. Vnde factum est, vt recentioribus temporibus nulla amplius eiusmodi papalium ausuum ratio habita sit. Et faustus rerum successus docuit, administrationem Imperii capite suo orbatu, ad Comites Palatinos Rheni, Ducesque Saxoniae non interceptam transiisse, iisque integrum mansisse S. Imperii Vicariatum.

q) In MELCH. GOLDASTI Collect. Constitur. Imperial. Tom. III. pag. 411.

r) Profligauit itaque Ludouicus, iurium Imperatoris ac Imperii strenuus vindex, intolerabilem Clementis V. Pontificis superbiam, qua in Cap. 2. de sens. et re ind. Clem. Vicariatum ex superioritate, quam ad vacans Imperium se habere gloriatur, nullo profus iure saltum, sibi temerarius addidit.

s) ARGENTINENSIS in Chron. pag. 144. Proxima post Epiphaniam Domini, an 1348. Procuratores et Secretarii (quatuor Electorum) — in Eduardum Regem Angliae, — in Romanorum Regem, sub castro Lonstein concordauerunt eligendum. BARNES History of King Edward the Third. B. II. Ch. VI. pag. 414. The Electors — sent two Earls, and two Doctors, to signify unto him, how they had with one Voice elected him unto the Dignity of the Empire.

t) TRITHEMIVS in Chron. Hirsaug pag. 293.

u) LATOMVS in Chron. Francof. Mss. Cf. OLENSCHLAGER c. I. p. 401.

x) ARGENTINENSIS c. I. pag. 151. Archiepiscopus Mediolanensis scripsit Papae — (Carolus) regem Aquigraui ex nouo consensu Principum electum et coronatum in Regem, ex vacatione quondam Ludouici Principis.

y) OLENSCHLAGER c. I. Urkund. Num. CVIII. d. a. 1350.

z) Tit. V. §. I.

Leipzig, Diss. / 1732


ULB Halle

3

005 358 981







B.I.G.

Farbkarte #13

1792, 11.

17

HISTORIA
 ATVS S. R. IMPERII
 INDE A
 IC DICTO INTERREGNO
 VSQVE AD
 VREAM BVLLAM
 GERMANICI PVBLICI
 COMMENTATIO

QVAM
 AVCTORITATE
 IVRECONSVLTORVM ORDINIS

PRAESIDENTE
 NNE CHRISTIANO
 DETZSCHKERO

SEPTEMBRIS A. C. MDCCLXXXII.
 H. L. Q. C.

DEFENDET
 ILMHELMVS CHRISTOPH. NEEFE
 CHEMNICENSIS.

LIPSIÆ
 EX OFFICINA LOEPERIA.

